Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Hrabani mauri comment. in Genesin lib. II. cap. 6-IV 18 - Cod. Aug. perg. 49

Hrabanus <Maurus>

[Reichenau], [10. Jahrh.]

"Inter ceteras scripturas quas pentheucus legis continent ..."

urn:nbn:de:bsz:31-57267

Visual Library

INTER CETERAS SCRIPTURAS QUAS pentatheucus legis continet maxime liber exodi eminet. in quo pene omnia sacramenta quibus presens ecclesia instituitur nutritur et regitur figuraliter exprimuntur. Nam ibi pro corporali seruitute filiorum israhel de aegypto [illegible] de spiritali aegypto pro demonum [illegible]. Ibi per transitum maris rubri et pharaonis aegyptiorum submersionem baptismi misterium et spiritalium hostium interitus figuratur. Ibi typici agni immolatio et paschae celebratio ueri agni passionem ac nostram redemptionem insinuant. Ibi manna de caelis et potus de petra exhausto populo dantur. ut doceat nos caelestem panem et potum uitae desiderare. Ibi precepta atque iudicia populo dei in monte traduntur. ut discamus legi nos subici disciplinis. Ibi tabernaculi constructio et uasorum eius simul et cultus et sacrificiorum fieri iubentur. ut sacerdotalis ornatus et spiritalium sacrificiorum ritus in hoc insinuetur. Ibi spiritalis unctio mixtis thimiamatis odoramentis conficiuntur. ut sanctificatio spiritus sancti et orationum sacerdotum misteria nobis commendentur. Haec enim omnia non solum praecedentium patrum dictis ita esse completa inuenimus. uerum ipsorum apostolorum traditione ac scriptis certissime percepimus. Nam paulus ad corinthios scribens ait. Nolo enim uos ignorare fratres. quod patres nostri omnes sub nube fuerunt. et omnes per mare transierunt. et omnes in moysen baptizati sunt. in nube et in mari. et omnes eandem escam spiritalem manducauerunt. et omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra. petra autem erat christus. Sic et iohannes euangelista in euangelio suo dominicam passionem describens. cum ad illum locum peruentum est quo in cruce pendentium latronum crura frangerentur. hinc testimonium sumens ait. Milites autem cum uenissent et uiderunt eum iam mortuum non fregerunt eius crura. sed unus militum lancea latus eius aperuit. et continuo exiuit sanguis et aqua. Et paulo post. Facta sunt enim haec ut scriptura impleretur. os non comminuetis ex eo. et cetera. Quapropter dilectissime antistitum freculfe uidetur mihi huius libri necessaria esse meditatio in quo sacramentorum atque misteriorum caelestium tanta uis consistit. ut non solum euangelicis sed etiam legalibus ad spiritalem plenitudinem [illegible] traditionibus. Feci enim sicut in tua epistola [illegible] rogasti. et collegi undique doctorum patrum dicta in unum uolumen singularum sententiarum et solutiones. et ubi minus antiquorum inuenire potui explanationes. iuxta morem eorum sensus similitudinem prout diuina gratia me posse concessit inserui expositiones. Unde deprecor ut si hoc consistat opus dignum duxeris. tam tuis quam aliorum utilitatibus illud accommodes. et communiter secundum caritatis regulam cum proximis tuis utaris bono quod tibi agnoscis munere conlatum esse diuino. De cetero quoque obsecro ut singularitatem meam orationibus adiuues. deposcens supernam maiestatem. ut me in presentis pelagi tempestate sua gratia gubernet. Qualiter me in presenti uita in suo seruitio utilem. et in futuro largitatis suae ope concedat esse beatum. Omnipotens deus hic te diu ad multorum profectum conseruet incolumem. et in caelesti regno sanctorum gaudiis efficiat esse participem. sancte pater memorem nostri.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI I.

I De ingressu israhel in aegyptum et afflictione quam ab aegyptiis israhel tolerabat. II De obstetricibus et [illegible] edictonis precepto. de interfectione masculorum. III De natiuitate moysi et eius expositione in flumine. IIII De [illegible] quomodo interfecit aegyptium altercantem cum hebraeo et fuga ipsius in terram madian. V De moyse et uxore eius et quomodo apparuit ei dominus in flamma ignis in medio rubi et posuit [illegible].

VI De eo quod iubet dominus moysi descendere in aegyptum ad pharaonem ut dimittat israhelitas de aegypto et de signo uirge in serpentem uerse et manu leprosa. VII Ubi excusat se moyses uenire ad pharaonem. VIII De reuersione moysi in aegyptum et angeli occursu in uia. VIIII De ingressu moysi et aaron ad pharaonem.

X Ubi pharao paleas prohibet dari israhelitis et querimonia ipsorum israhelitarum pro afflictione operis. XI De eo quod moysi nomen suum adonai dominus indicauit et de populo ad israhel laudatio(?).

XII De eo quod illorum per [illegible] numerat et demandat ad pharaonem dari. et signorum demonstratione. XIII De conuersione aque in sanguinem. XIIII De ranarum productione. XV De sciniphes.

XVI De muscis plaga. XVII Ubi pestis ualida immittitur in animantia aegyptiorum. XVIII De grandinis inmissione. XVIIII De locustis.

XX De tenebrarum inmissione. XXI De nouissima plagarum decem in necem primogenitorum in terra aegypti et x plagarum expositione. XXII [illegible] mandatum domini per moysen ad filios israhel dari [illegible] aurea et argentea. De institutione paschae in terra aegypti [illegible] et consuetudine [illegible] in hoc [illegible] expositione primitiuorum.

EXPLICIUNT CAPITULA LIBRI I. INCIPIT LIBER I. COMMENTARIORUM HRABANI MAURI IN EXODUM.